





DISSERTATIO ^{שד} ACADEMICA
DE
SACERDOTIO
CVM REGIMINE CIVILI
CONIVNCTO

SIVE DE
THEOLOGIS IMPERANTIBVS,

QVAM

AVSPICIIS DIVINIS

RECTORE ACADEMIÆ SALANÆ MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAX. IVL. CLIV. MONT. ANGAR. & GVESTPH.
RELIQVA,

EX SVPERIORVM CONSENSV

DEFENDET

PRÆSES

M. BONAVENTVRA *Riesch/*

LINDAVIA - SVEVUS,

RESPONDENTE

GEORGIO NATHANAELE KISTMACHER,

PRITZIA-POMERANO, SS. THEOL. AC PHILOL. STVD.

DIE XIX. IANVARIII MDCCXV.

I E N Æ,

TYPIS WERTHERIANIS.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
SACERDOTIO
CUM REGIMINE CIVILI
CONIUNCTO
SIVE DE
THEOLOGIS IMPERANTIBUS

INSPICIT DIGNISSIMO
RECTORE ACADEMIE SALINAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
FRANCISCAE AUSTRIACAE
DUCIS SACCIAE MONTIS ANASTASII
ET SACCIAE AUSTRIACAE
CONSENSU

M. BONAVENTURA
LINDAVIAE SECVS

GEORGIO NATHANALE KETMACHER
DE THEOLOGIA SACRA
PRAEF. THEOL. PRAEF. THEOL. PRAEF. THEOL.

1772
TYRIS: WERTHERIANUS





Præfatio.



Um ex consilio eorum, quorum ab auctoritate pendemus, edendum nobis esset studiorum Academicorum specimen; arrisit nobis potissimum argumentum, *De Theologis imperantibus*, quod, quantum quidem novimus, a nemine modernorum plene atque ex instituto est expositum. Neque vero nos omnia, quæ dici poterant, afferemus; sed ea tantum, quæ scopo nostro erunt convenientiora. In duas autem Partes opella nostra dividetur: quarum alterâ ex Historiis *exempla* producentur *Theologorum imperantium*; alterâ disquiremus *De tali Principatu quid sit sentiendum?* salvo tamen cujusque meliora monentis

A 2

sen.

ſentientisve iudicio. Quod ut in ſummi Numinis gloriam vergat, quam maxime optamus.

PARTIS I.
PHILOLOGICO-HISTORICÆ.

Synopſis.

Antiquiſſimis temporibus iidem Reipublica qui Sacerdotio præfuerunt §. I. Ante diluuium homines Imperio quodam fuere gubernati §. II. Exiit etiam iam tum temporis Sacerdotes §. III. Qui Imperium Civile adminiſtrabant, quo pertinent בני אלהים Gen. VI. 2. §. IV. Poſt diluuium Theologi quoque Principatum geſſere v. g. Nimrod. §. V. Abraham & Iſraël §. VI. Melchizedech §. VII. Jethro §. VIII. Non huc Moſes eſt referendus §. IX. Nec Jerubbaal §. X. Potius Eli §. XI. Samuel, & Maccabeorum tempore Ariſtobulus §. XII. Nec non Perſarum Magi quippe qui & Sacerdotes fuere. §. XIII. Et Proceres Reipublica §. XIV. Sic & Egyptiorum Theologi §. XV. Qui variis fraudibus authoritatem ſibi conciliarunt §. XVI. Porro Aſſyriorum Magi §. XVII. Presbyter Johannes §. XVIII. Germanorum Druides §. XIX. Romanorum Reges, Patricii, atque Imperatores §. XX. Inprimis Heliogabalus §. XXI. Episcopi Eccleſie Romanæ §. XXII. Qui per fas & nefas varias ſibi diuſiones pararunt §. XXIII. Sed mutata recentiori ævo verum facies eſt §. XXIV. Maximilianus I. etiam

Pon.

¶ (s) ¶
Pontificis dignitatem appetit §. XXV. Finis Partis
Prima §. XXVI.

§. I.

SI verum est illud, quod *Ælianus* (a) tradit: antiquissimis temporibus a sacerdotibus Judicia etiam esse administrata; originem Principatus Theolog. jam ante diluvium quæramus necesse est. De rebus autem tum temporis, & sequenti proxime ævo gestis, cum vel nihil, vel pauca admodum, eaque maximam partem fabulosa Ethnici. Scriptores memoriæ prodiderint; sacri Codicis auctoritate potissimum standum nobis hac in parte erit.

§. II.

Ante vero quam de Sacerdotum imperio antediluviano agamus, expediendam nobis esse videmus quæstionem: *An ante illam exitialem humano generi aquarum inundationem imperii quadam potestate homines fuerint gubernati?* Difficile sane est, sententiam heic nostram edisserere: cum omni fere destituamur Historiarum fide. Neque tamen desperata plane res videtur, (b). Sive enim cum Aristotelicis hominis naturam

A 3

&

(a) Variar. Histor. Lib. XIV. cap. 34. conf. *Aristoteles* Polit. lib. 3. cap. X. ubi ait: Reges Heroicis temporibus Imperio præfuisse belli, & res ad Religionem pertinentes administrasse, & id ipsum in quibusdam Civitatibus Regibus commissum esse, ut cerimoniarum sacrarum curam agerent.

(b) Vid. *Morhof*. Polyhist. Tom. I. lib. I. cap. VI. §. 16. p. m. 49. Latus heic nobis se aperiret campus de *Berosi* ab *Annio Viterbiensi* sive conficti, sive ex manuscriptis editi fide agendi. Quæ si esset certa ipsa etiam nomina Regum antediluvianorum haberemus sigillatim. Sed de his alias.

& indolem ita esse comparatam, ut non possit non vivere in Republica (c); sive cum recentioribus quibusdam Philosophis statuas, ad societatem Civilem homines compulsos fuisse, spe defendendi se, suaque, & metu, ne ab aliis opprimerentur, (d): probabile erit, imo certum, post lapsos quidem Protoplastos, cum hominum paucitas inepta majori alicui atque Civili societati esset, singulos Patres familias suae imperasse domui (e): aucto vero magis & magis hominum numero, cum alteri ab altero periculum esset, majores ab ipsis initas esse societates. Quae cum sine Regimine consistere non possent (f), necesse erat, ut Principatui cuidam illi sese submitterent (g).

§. III.

Neque vero dubium est fuisse etiam tum temporis, qui publice cultum divinum dirigerent, (h) quorum primus

-
- (c) Ita scilicet illi plerumque interpretantur Magistri sui verba, Polit. lib. I. cap. 2. quod homo sit *ζῷον πολιτικόν*. Rectene an secus nolumus jam disputare.
 - (d) vid. *Puffendorff*. de officio hominis & Civis Lib. 2. cap. 5. tot.
 - (e) vid. ideam l. c. lib. 2. cap. I. §. VII. nec non in *Intrad. ad Hist.* stat. cap. I. princ.
 - (f) vid. *Aristoteles* lib. I. Polit. cap. 3. conf. *Justus Lipsius* Polit. Lib. 2. cap. 1. p. m. 56. seqq. Edit. Lugd. *Joh. Bodinus* de Republ. lib. 3. cap. 8. princ.
 - (g) vid. *Justinus* Hist. lib. I. cap. I. collatis *Berneggeri* ad illum locum notis pag. 4.
 - (h) id quod eo erit probabilius, si cum *Ab. Esra* in notis ad Gen. IV. 15. aliisque dixeris: jam Caini atque Abelis tempore aedes certas Numini fuisse dedicatas: in quibus sacra fierent, earumque (ut Anglorum doctissimus *Gual. Cave* in *Antiqq. Apost. Prolegomen.* §. VII. p. 10. Edit. Germ. putat) sanctitate & praesentia Divinae Majestatis ibi manifestissima notum fuisse Cainum, quominus exemplo

mus quibusdam videtur fuisse Enofus. Quo trahunt illud Gen. IV. 26. *אז חזר לקרא בשם* *Tunc captum est invocari nomen Jehovah, (i)* q. d. cum ob etiam atque etiam crescentem hominum multitudinem non facile posset jam intra privatos parietes cultus Divini Numinis rite observari; publice solennes coetus sacrir tractandis sunt destinati. Imo *Bebelius* in Tr. de Ecclesia Noachica & ante Noachum propior instituto nostro ita istud comita exponit: *Tunc captum est vocare Ministros verbi Divini in nomine Domini.* Quæ tamen verba Hebraica satis comitmode exprimere non videtur. Quicquid etiam hujus sit; nemo facile negare poterit, antequam aquis terræ inundarentur, certos quosdam viros Sacrorum curam egisse solenniter.

§. IV.

Cum probatum itaque dederimus, & *Principes æum temporis extitisse, & Theologos;* instituti nostri memo-

Abelem occideret. Quid? quod quidam ab ipso Adamo Tabulis quibusdam inscriptam fuisse tradunt Historiam sacram primorum temporum, quæ erectæ signum exhibuerint loci, in quo congreganda esset Ecclesia. Verum hanc narratiunculam rejicit *Baehlerus* in Exercitt. ad *Josephi* antiqq. Jud. idque merito, iudice Morhofio l. f. c.

- (i) *Judeorum Coryphaus R. Mose ben Maimon* in Tr. de Idololatria cap. 1. §. 1., cum plerisque contribulibus suis ambiguitate vocis *יהוה* abusus, Hancce nobis illius commatis oberudit versionem; *Tunc profanatum est invocando nomen Domini.* Plures sententias a Pfeiffero in Dub. vex. p. 50. seqq. cumulas huc transcribere, nostrum non est. Conf. S. R. D. D. *Majus* in Oeconomia Temporum V. T. ad h. l. *Casè* l. c. §. XIII. p. 31. seqq., nec non Disp. Præside Viro Celeber. *Matth. Nillero* Tubingæ 1710. *habita de opere secunda* dici p. 17. seq.

mores, docebimus, illo ipso ævo *conjunctum cum Imperio Civili Sacerdotium* fuisse. Pertinere huc videtur vexatum Comma Gen. VI. 2. ubi de FILIIS DEI agitur. Quorum nomen de quibusnam hominibus sit explicandum, altioris est indaginis. Nos arbitramur, significari heic *Theologos*. cum enim vox בן *Filius* haud secus ac בעל *Dominus* atque אדם *Vir*, constructum cum alio constituat coneretum denominativum ac possessivum (k); pronum erit interpretari בני אלהים *divinos, possidentes Deum*, sc. intellectu, i. e. qui perfecta rerum Divinarum cognitione imbuti, præ reliquis hominibus piis, cum Numine supremo quasi conversantur, certe conversari debebant. Nec video, quid obstet, quo minus nomen *Filiorum Dei* Theologis κατ' ἐξοχὴν tribuatur (l). Cum 2. Tim. III. 16. ἀνδρωποι τῶ θεῶ *homines Dei* appellentur ii, qui sacra publice administrant. In Codice vero Vet. Test. sæpenumero Prophetæ vocantur *Viri Dei*. Ipsi autem illi Antediluviani *Theologi Magistratum* etiam vices egisse videntur, & eximia quadam gavisi esse potentia. Alias certe non licuisset ipsis rapere sibi pro lubitu uxores. Quod & observasse videntur, (ratione simul habita receptæ alias significationis τῶ אלהים

(k) Quæ ipsa verba sunt D. JO. ANDR. DANZII, Patrōni, Præceptoris atque Hospitis nostri, Parentis instar ætatem devenerandi Interp. §. 27.

(l) Quæ etiam sententia approbata videtur a R. Ab. Esra, qui in Com. ad hunc loc. postquam varias variorum recensuit opiniones, suam tandem addit Epicrisin, his verbis: והישר בעיני להיות בני האלהים הוורעים רעת עליון i. e. *Ego existimo, FILIOS DEI esse eos, qui profitentur rerum Divinarum notitiam*. Sane Αβλεψία est Pfifferi in Dub. Vex. p. 60. tradentis: Ab. Esram exponere hunc locum de Filiis hominum Magnatum.

אלהים, qua *Principes* denotat) Interpres SAMARI-
 TANUS qui: ברו שלטניה *filios dominatorum*, & ON-
 KELOS qui בכט רכרבו *filios Magnatum*, in versione
 hujus loci exhibent (m). Erant vero Theologi hi Prin-
 cipes, ut *Josephi* (n) verbis utar, ἰβριταὶ παῖδες καὶ παν-
 τὸς ὑπερόπται καλῶς διὰ τὴν δὲ τῆ δυνάμει πεποιθήσω, *Injuria*
homines & omnis contemptores boni, propter suam in po-
tentia fiduciam. Quibus verbis eorum in Republica
 non principatum tantum, sed & violentiam indicat.
 Quæ ex Luciano (o) etiam intelligi potest, quando ait:
 ἰβριταὶ ἄδικτα ἔοντες ἀθέμισα ἔργα ἔπρασσον, ἕτε ὄχρια ἐΦύ-
 λασσον ἕτε ζῆνεις ἐδέχοντο ἕτε ἱκετέων ἠνείχοντο κ. τ. λ. *I. e.*
Injuria admodum profana facta perpetrarunt, neque enim
juramenta servabant nec hospites excipiebant, nec inter-
cessionem, supplicationesque (forte subditorum) accipie-
bant.

S. V.

(m) Onkelosum sequitur RASCHI in Comm. ad h. l. R. SAL. B. MELECH. in Michl. Jophi fol. 3. col. 2. post med. Edit. Abendana: & *Christ. Besoldus* Hist. Univ. Synops. cap. 2. Cæterum non morabitur nos *Josephi* opinio & Patrum plerorumque Christianorum, qui Angelos per אלהים בני indicari putant. Quid enim Spiritibus his subtilissimis cum mulieribus commercii? eoque magis mirandum est haud ita pridem *Anonymum* istos fecutum esse in Tr. quodam mysticis magicisque Hypothesibus referro, cui titulus: *Curieuse Erklärung der Worte Mosis Gen. VI. 2. &c.* Longe probabilior est *Abrabanelis* in Comm. ad h. l. (fol. 34. col. 1. princ. Edit. Bashuylianæ) & aliorum sententia de piis Semi posteris. Quæ tamen facillime cum nostra conciliari poterit.

(n) Antiqq. Judd. lib. I. cap. 4.

(o) De Dea Syria Tom. I. p. 887. Agit ibi de diluvio, quod acciderit tempore Deucalionis, quo nomine Noachum Gentilibus venire conjicitur a plerisque. Hanc in rem ipsum illum Luciani locum adducit *Cæse* l. c. p. 38. §. 15.

§. V.

Post diluuium Sacerdotes quoque Reipublicæ præfuisse maxime probabile est. Antiquam enim Regiminis formam seruasse videntur ii, qui post diluuium NIMRODI primum Imperio se submiserunt. Et hic quidem, quem maximum fuisse Principem uno ore fatentur omnes, quod sacra etiam sibi administranda sumferit, patere quidam arbitrantur ex Gen. X. 9. ubi ille vocatur גְּבוּר צַיִר לְפָנָיו, qua Phrasi significari *ejus in Ecclesia Tyrannidem* Pontificiæ similem existimat Megalander Lutherus. Unde & B. Sal. Glassius (p) *Typum Patre* Nimrodum fuisse conicit. Et hæc quidem Commatis hujus explicatio longe foret probabilissima, si certum esset, פְּנֵי יְרוּחַ דָּ פְּנֵי uspiam significare *Ecclesiam*: quod quidam ex Gen. III. 16. adstruere conantur. Neque vero causæ nostræ seruiet id, quod Ab. Esra in Comm. ad Gen. X. 9. tradit: Nimrodum vocari *fortem venatorem coram Domino*, quia venatus fuerit bestias, quas deinde Numini immolarit. Quippe feræ venabulo captæ sacrificiis non censentur aptæ. Sed missis his incertis, ad certiora iam properamus. (q).

§. VI.

Occurrit autem nobis Nimrodo si R. *Abrabaneli* (r) cre-

(p) Select. Mos. p. 550. seq. vid. Pfeiffer, in Dib. Vex. pag. m. 81. ubi plures enarrantur de exponendo hoc loco sententiæ.

(q) Plura de Nimrodo, qui desiderat cognoscere, adeat Christ. Ad. Rupertum in observ. ad Befoldi synopsis Hist. univers. nec non Schurzstischium in Disp. de Nino Urbe edita VVittebergæ 1696.

(r) In Maschia Jeshuah sive Præcone Salutis fol. m. 5. col. 4. post med. edit. Helmst. ubi prorsus contra omnem Historiæ hædem (ut sunt Rabbini Chronologiæ plerumque rudes) tradit a Nimrodo

credis, σύγχρονος ABRAHAMUS: qui & Sacrorum erat inter suos Antistes, quod ex circumfisionis ritu administrato, aliisque qua passim Moses memorat patet, & Princeps extitit haud spernenda potentia. Id quod non negabit, qui ab ipso contra quatuor Reges, vel, si mavis Regulos Exercitum trecentorum ac duodeviginti Virorum ductum esse relatum Gen. XIV. legerit. Unde lucem foenerari poterit JUSTINUS (c), Abrahamum Regem vocans. Quem ille Titulum etiam *Israëli* tribuit: neque adeo absurdè. Siquidem *Regis* nomen Principi etiam competere dixeris, cujus pariter ac Sacerdotis vi- ces inter suos eum gessisse, haud abs re putarim. Utrumque enim primogenito cuique (quod quidem jus ab Esavo illum redemisse Moses narrat) ipse ille Jacobus indicasse putatur Gen. 49, 3. (d)

B 2

§. VIII.

Babylonico Rege afflictum esse Abrahamum, & genuisse ex uxore Kethura Assyrios. Credat Judæus Apella. Non ego. Namque diu post vixisse Abrahamum, intrer alia ex eo constat, quod *Josephus* refert lib. I. Orig. c. 10. bellum Sodomiticum, cui Abrahamus teste Mose implicitus fuit, gestum esse imperante Rege Assyriaco Thura, qui alias Arius dicitur, & *Agæus* sive *Mars* Ethnicorum fuisse videtur. Jam vero Arius hic Ninyæ filius diu post Nimrodum vixit. Nec video, quomodo illa, qua Abrabanel heic narrat, conciliari possint cum eo, quod ipse loco cit. fol. 10. col. 1. post med. & in *Jeschuorh Meshicho* Parte I. assert, scilicet: Babylonios esse Ismaelitas. Quo innere videtur; ab Ismaële Abrahami ex Hagare filio illos ortos esse. Sed hæc *ישׁאׁרׁל מׁשׁכׁוׁ*.

(c) Lib. XXXVI. c. 2.

(d) Ita quidem recepta inter nostrates fert sententia, quippe illa Hebraici Textus verba: *ראובן בכור אהרן כתי ורחשית* Divus *Lutherus* vertit: *Ruben meus erster Sohn/ du bist meine Krafft/ und meine erste Macht/ der Oberste im Opfer/ und der Oberste im Reich.* *Securus forte est venerandus ille orthodoxie instaurator, Judæos, ex qui-*

§. VII.

Sed ut ad Abrahamum revertar, ejus ætate vixit MELCHISIDECUS, quem Sacerdotem simul & Regem fuisse nemo est, qui inficiari aufit. Cum ipse Moses eum nunc *Sacerdotem* altissimi, nunc *Regem* Solymæ vocans, hujus rei certiores nos reddat. Quare haud inepte dixeris, hac quoque in parte Typum illum esse Salvatoris nostri optimi: cujus de Sacerdotio Regnoque constat inter omnes.

§. VIII.

Huc etiam forte pertinet JETHRO a genero suo Mose כהן vocatus: quod nomen Interpres Chaldaus voce רבנא, quæ denotat *Principem*, vertit. Nec abs re: cum כהן si recte rem perpendere velis, proprie non *Sacerdotem* tantum, sed quemvis dignitate aliqua eminentem denoret. (u).

§. IX.

bus *Onkelos* posteriores hujus commatis voces huc præcipue spectantes Chaldaice ita expressit: לך הנה חזו למסב תלתא לך חזו חזו למסב תלתא i. e. Ecce tibi accipiendæ erant tres partes, *Primogenitura, Sacerdotium & Regnum*; Cum Interprete hoc consentit ut fere solet, *R. Sal. Isaacides* in Comm. ad h. l. & *R. Sal. b. Melech* in Michlal Jophi fol. 16. col. 1. fin. & col. 2. princip. At vero longe rectius *R. Ab. Esra* in not. ad h. l. nec non *Abrabanel* in Comm. Penrat. fol. 98. col. 1. med. illud: ותר שאת ותר עז de Regno atque potentia in Republica explicat, cum ne verbum quidem de *Sacerdotio* (quod tamen primogenitis haud secus ac *Regnum* olim competisse non inficias iverim) in fontibus Hebræis reperiat. Nisi huc trahere atque torquere velis vocem שאת elatio, ab elationis sacrificiorum. Alio certe modo excusari *Lutheri* versio non posse videtur.

(88) vid. *Buxtorfius* Lex Bibl. p. 353. & Autores citati a *Pfeffero Dub. Vex.* p. 621. quibus adde *Ab. Esram* in notis ad Gen. XIV. 18.

§. IX.

Hinc illustrari posse videtur comma sextum Psalmi XCIX. ubi MOSES dicitur מֹשֶׁה quod de *Sacerdotio* Mosaico conjuncto cum *Imperio* Civili interpretantur cum Rabbini ac Talmudistis Pontificii. Rectius vero poteris dicere Mose sanctissimo illi Reipublicæ pariter ac Sacrorum Judaicorum Conditori Nomen מֹשֶׁה tribui, ob id, quod Principis vices in Populo suo sustinuerit (x). Sic suum constabit pretium argumento a nostratibus ad afferendam contra Gentiles Mosis auctoritatem afferri solito: quod scilicet cum sibi suisque potuisset vindicare *Sacerdotii* honores; perfide tamen agere noluerit, sed fratri Aaroni illud reliquerit. Nec magni nobis est, auctoritas JUSTINI, qui Mosen *Principem* pro *Sacrorum Praefule* habuisse videtur, quando (y) *Post Mosen*, inquit, *etiam filius ejus Arvas* (forte Aharonem fratrem Mosis heic significari, dicere licebit) *Sacerdos sacris Ægyptiis, mox Rex creatur. Exinde mos hic apud Judæos fuit, ut EOSDEM REGES & SACERDOTES haberent, quorum*

B 3

ju-

& cap. XLII. 15. item ad Psalm. XCIX. 6. nec non *Kimsium* ad Hof. VI. 9.

- (x) De artibus, quibus in hoc Principatu usus sit Moses, disserit egregie *Puffendorff* in Tract. de habitu relig. ad vitam Civ. §. 12. obiter observamus, quod Moses non Princeps solum, sed & *Rex in Jschürum* h. e. (secundum Onkelosi versionem) *in Israel* vocetur Deut. XXXIII. §. quia scilicet inter Israelitas *Regio instar* fuit, ut ait *Ab Esra* in notis ad h. l. qui etiam commemorat, *R. Judam Levitam* ad *Legem Mosaicam* (de qua in antecedenti commate sermo fu rat) non ad ipsum Mosen istud *Regis* nomen referre. Raschi vero de supremo illo Rege Deo hoc comma explicandum esse arbitratur. De Sacerdotio vero Mosis extat *Dissertatio elegans Frischmuth.*
- (y) Hist. Lib. XXXVI. cap. 2. §. 16.

Justitia religione permixta incredibile quantum coaluere.
 Fallor, an postrema hæc verba ex Tacito vel illustrari
 vel huic Lucem afferre poterunt? ita enim ille: (z)
Judæi Macedonibus invalidis, Parthis non dum adultis,
(Et Romani procul aberant) sibi ipsi Reges imposuere, qui
mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione-
solita Regibus ausi superstitionem fovebant, quia HONOR
SACERDOTII FIRMAMENTVM POTENTIÆ assume-
batur (a). In quibus fabulosa admixta esse veris, quis
 non videt? Quam falsâ vero fuerit hæc de Regum Ju-
 daicorum *Sacerdotio* inter Ethnicos fama; ex Historia
 S. liquet. Sic 2. Chron. XXVI, 18. memoratur: Uziam
 Regem, cum munia Levitarum obire sustinisset, lepra
 perpetua temeritatem huic. Sed in viam.

§. X.

De GIDEONE forte, an inter Sacerdotes impe-
 rantes referendus sit, difficilis erit quaestio. Enim vero
 Pagina S. docet: eum maximis rebus gestis, Judicem
 Ducemque Judaicæ gentis fuisse constitutum, & nomen
 Jerubbaalis ipsi tribuit. Jam cum Ethnici scriptores
 mentionem faciant alicujus *Hierombaalis* Sacerdotis Dei
 Jao, qui Sanchuniatoni Phœnicum illi Polyhistori cele-
 berrimo Librum antea in Templo servatum tradiderit,
 unde ille depromserit sua pleraque omnia, existimat
Bocharius (b) istum Hierombalum eum esse, quem S.
 Lite-

(z) Hist. Lib. V. p. 576.

(a) Loquitur procul dubio de Maccabæorum temporibus vid. *Jos.*
phus antiqq. Judd. lib. XIII. cap. 19.

(b) Geog. S. P. 2. l. 2. cap. 15. p. 858. seq. capf. *Petrus Dav. Hus-*
sius demonstr. Evang. p. 74.

Literæ Jerubbaalem vocant, Judicemque Populi Israelitici fuisse tradunt. Sic habebimus (si Diis placet) *Virum, qui Sacerdotio simul ac Imperio praeiit*. Id quod scopo quidem nostro erit convenientissimum; sed a veritate, (nisi fallor) nonnihil alienum. Quippe in sacro Codice de Sacerdotio Gideonis nullibi vel vola vel vestigium apparet. Quid ergo consilii? *Bochartus* facile fieri potuisse existimat, ut Gentiles, quem videbant hostium spolia divino dedicare cultui sacrorum putarent antistitem esse: atque ita errasse eos tantum in officio publico Jerubbaalis consignando, quem tamen ab ipsis immo nihilominus certum sit. Ast (fateor), ut subscribam Viri ingeniosissimi, deque orientali Literatura optime meriti sententia, a me impetrare nondum possum. Id enim mihi persuasi, longe diversum esse Gentilium Hierombaalum a Jerubbaale. Sive enim cum *Theodoro* (c) (qui testimonium hocce ex *Porphyrio* est mutuatus) dicas Sanchuniatonem Semiramidis vixisse aeo: sive auctore *Suida*, ad belli Trojani (d) tempora ejus aetatem referas; hærebit aqua, nec cum Gideonis aeo conciliare hæc poteris. Et, si vel maxime posses, de *Sacerdotio tamen Principis* Gideonis confecta res non dum erit: quod in ipsum, (secundum Iud. XIII. 2.) ex Danitarum Gente oriundum minime quadrat.

§. XI.

- (*) Lib. 2. de curand. Græc. affect. consultavit *Theodoretum* *Hermsini* Exercit. 3. de Sanchuniatone, qui totam Sanchuniatonis historiam fabulis accenset.
- (d) Quippe quod Davide Judæis imperante gestum esse demonstrare nititur *Cario* *Chronici* lib. II. p. m. 63. conf. *Rupertus* l. s. c. qui quicquid de bello Trojano circumfertur pro Poëtarum habet fumento.

§. XI.

Missio igitur hoc, nostros in se oculos convertit ELI, qui turbatis Israelitarum rebus, cum Pontificis dignitate emereret; *jus* Judaico populo simul dixit pro tribunali. Quibus officiis vivo adhuc Gideone per 20. annos totidemque post ejus mortem functus esse censetur (e). Quamquam alii aliter Computum concinent. Qua de re differere fufius, non fert instituti nostri ratio.

§. XII.

Pari modo ejus in munere sacro Successor SAMUEL Reipublicæ Israeliticæ præfuit maxima cum laude; donec Judæi hujusce Regiminis pertæsi Regem sibi postularunt, cui nihil esset commune cum Sacerdotio. Cæterum ex hæctenus dictis constat: falli *Josephum*, cum (f) putat: primum tempore Maccabæorum fieri in Judaica gente cœpisse, ut quidam PRINCIPES Simal ac PONTIFICES essent: nec ante Aristobulum quempiam extitisse, qui Principatum una cum summi Pontificis munere sibi vindicavit.

§. XIII.

Inter Persas (de his enim jam agemus, omissis Hebræis) Theologorum imperantium illustre nobis exemplum præbent MAGI; & quidem eos *Sacerdotum* gessisse vices *Svidas* testatur; *Μάγοι*, inquit, *καὶ Πέσσαι* οἱ Φιλόσοφοι καὶ οἱ Φιλόθεοι. i. e. *Magi apud Persas studiosi sunt sapientia rerumque Divinarum.* Idem tra-

(e) vid. Hist. Eccl. Comp. Gorhan. lib. I. cap. 2. Sect. 2. p. 147. ad A. M. 2830.

(f) Antiqq. Judd. lib. XIII. cap. 19.

tradit *Hesychius* : μάγον τὸν ἀπατεῶνα Φαρμακευτὴν τὸν Θεοσεβῆ, καὶ Θεολόγον καὶ ἱερέα οἱ Πέσσα ἕως λέγουσι. *Magum, impostorem, beneficum, ita appellant Persæ Dei cultum ac res sacras tractantem, atque sacerdotem. Plato quoque in Alcibiad. l. p. 222. de Magia Persarum pronunciat* : ἐστὶ δὲ τῆτο Θεῶν Θεραπεία : *Est hic Deorum cultus* : Sic & *Laertius* in *Præfat. lib. de vitis Philosophorum* tradit : τὸς μάγους περὶ Θεραπείας Θεῶν διατρέθειν, *Magos circa Deorum versari cultum. Et Porphyrius* in *vita Pythagoræ* : eos professos esse *Theologiam & doctrinam de moribus* (περὶ τὰς τῶν Θεῶν ἀγιείας, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν περὶ τὸν βίον ἐπιτηδευμάτων) (g). *Affirmat etiam Porphyrius* in *lib. de abst. anim.* μάγοι κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον οἱ περὶ τὸ Θεῶν σοφοὶ καὶ τῆτο Θεράποντες. i. e. *Magi lingua vernacula vocantur, qui Numinis cognitione sunt instructi, idque veneratione.* Evidentiſſimis his de *Magorum Sacerdotio* testimoniis, haud graviter (spero) feret *Benevolus Lector*, si unum addamus, quo eorum fata longa serie enarrantur, ex *Ammiano Marcellino* scriptore antiquitatum studiosis omnibus merito commendatissimo. Ita autem ille : (b) *Magiam opinionum insignium autor amplissimus Plato Machagistiam esse verbo mystico docet divinorum incorruptissimum cultum, cui scien-*

(g) *Cit. Cellar.* in *Disp. de Magis* edita *Haleæ 1704.* De eodem argumento conferri meretur *Thom. Hyde* in *Hist. Relig. Vet. Pers. eorumque Magorum* (*Oxonii 1700.*) it. *Barnabas Brissonius* de *Reigno Pers.* lib. 2. p. 178. seqq. De nomine *Magorum* nihil nunc addimus paucarum pagellarum spatio circumscripti. Exposuere illud *Pfeifferus* de *vocibus Exoticis* N. T. loc. III. p. 886. seqq. *Christ. Beckmannus* in *Originibus* lin. Lat. p. m. 658. quique primo loco nominandus erat *Cel. Hiller.* *Onomast.* S. p. 646.

(b) *Lib. XXIII. p. m. 457. seq. Edit. Boxhorn.*

scientia seculis prisca multa ex Chaldaeorum arcanis, Bactrianus addidit Zoroastres, deinde Hystaspes rex prudentissimus Darii pater. Qui cum superioris India secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cujus tranquillis silentiis praecelsa Brachmanorum ingenia potiuntur: eorumque monitu rationes mundani motus & siderum purosque sacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quae didicit aliqua sensibus Murgorum infundit, quae illi cum Disciplinis praesentendi futura per suam quisque progeniem posteris aetatibus tradunt. Ex eo per secula multa ad praesens una eademque profapia multitudo creata Deorum cultibus dedicatur. Feruntque si justum est credi, etiam ignem caelitus lapsum apud se sempiternis focolis custodiri, cujus porcionem exiguam, ut faustam praesisse quondam Asiaticis regibus dicunt. Hujus originis apud Veteres numerus erat exilis, ejusque mysteriis Persica potestates in rebus faciendis Divinis solemniter utebantur; Eratque piaculum aras adire vel hostiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet praecursoria.

§. XIV.

Ex his luce meridiana clarius jam est: *Sacerdotum* munere functos esse Persarum Magos. Reliquum erit, ut eos ipsos *Magistratum* gessisse honores, demonstremus. Enim vero, quanta fuerit eorum auctoritas in Republica Persica, ostendit Cicero (i). *Nec quisquam*, inquit, *Rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit.* Unde & Plato I. §. c. eos vocat: βασιλεῖς παιδαγωγῶς Περσῶν ἀείσις, δ.

(i) Lib. I. de divinatione num. 41.

διδάσκοντας δὲ καὶ τὰ βασιλικά. Propius instituto nostro accedit *Tertullianus*, qui (k) *Magos*, ait, *Reges fere habuit Oriens*. Imo *Juvenius* antiquus Christianorum Poëta, in metrica Matthæi expositione disertis verbis eos *Primores* Persarum appellat, canens:

Gens est ulterior surgenti conscia soli,
Astrorum sollers ortus obitusque notare,
Hujus Primores nomen tenuere Magorum (l).

Latus heic nobis se aperiret campus de iis Magis, qui teste Matthæo cap. II. v. i. Christum infantem, ex Persia (ut plurimi credunt) profecti, Divinos affecere honoribus, disserendi paulo uberius: sed cum haud pauci Viri eruditissimi illam ipsam Historiam accurate jam ex purissimis Antiquitatum fontibus exposuerint; id tantum in præsentiarum observo a scopo nostro minime alienum, quod ipsa etiam dona istorum arguant, summa eos inter Persas eminuisse dignitate. Quo factum etiam est, ut Regum nomen (die Heil. 3. Könige) vulgo ipsis tribueretur. Certe ex hoc *Magorum semine*, ut refert *Ammianus Marcellinus*, (m) post mortem *Cambysis* REGNUM inisse *Persarum antiqui memorant libri, docentes, eos Darii factionibus oppressos IMPERITANDI initium equino limitu sortitos*. His probe pensitatis, obscurum esse non potest, quod inter Persas etiam ii, penes quos sacrorum circa esse unice debebat imperium capessiverint. Quod & post *Ammiani Marcellini* ævum,

C 2

se-

(k) cap. IX. adversus Judæos.

(l) all. Christoph. Cellar. in Disput. supra citata.

(m) Lib. XXIII. p. 458. conf. *Herodotus*, *Justinus* lib. I. cap. IX.

seculo P. C. N. sexto ipsos obtinuisse, auguramur ex *Beidavio* scriptore Arabico, qui in commentario ad Alcorani Suratam L. VI. teste *Lud. Maraccio* in egregio quod ad illustranda Muhammedis effata edidit opere, tradit: *Magis Persarum Judæos exules tributum solvisse, donec bos suo subjiceret jugo Muhammedes*, cujus pessimi Impostoris Historiam recensere grave nobis haud esset (quippe luculentissimum *Theologi regnantis* exemplum præbere iste homuncio nobis poterat) nisi brevitatis studium obstaculo nobis foret, quominus cramben fexcenties ab *Hottingero* aliisque coctam quamplurimis recoqueremus.

§. XV.

In sapientissima *Ægyptiorum* gente pari modo *maxima* fuisse eos *auctoritatis*, qui *res Divinas tractabant*; Exemplum JOSEPHI docet (n): quem studium Oniroticites (quod ad Theologiam tunc temporis pertinebat) ad proximam a Rege dignitatem evexit. Certe parum abest, quin focerum Josephi, *Sacerdotem in On* Gen. XLI. 45. vocatum, huc referam. Hunc enim inter *Primates* Regni *Ægyptiaci* fuisse facile existimare poterit, quisquis & Onkelosi versionem, ubi רבא ריאן dicitur, & matrimonium a Pro-Rege cum ipsius filia initum: nomen denique ejus פרא פראי פראי cuius ex parte altera פרא *majestatem* significante, nomen *Ægyptiacis* Regibus proprium פרא, est ortum perpenderit. Cœterum

& *Bennegerus* in notis, nec non *Job. Cario* Chronici lib. II. p. m. to 6.

(n) Gen. XLI. conf. de hoc Josephi Exemplo *Justinus* lib. XXXVI. cap. 2. & ex eo *Orosius*.

rum quæ de voce חַרְטֻמִּים huic Potiphari tributa a Mose, observanda heic erant repeti ex supra ad §. 8. dictis poterunt.

§. XVI.

Haud sejunctum autem nunc fore a re proposita arbitror; si paucis exposuero, qui factum sit, ut ad maximum honoris fastigium Ægyptiorum *Sacerdotes* ascenderent: Scilicet vaserrimi isti *Sacrificuli* singularem pietatem, cumque Diis quotidianam consuetudinem, præ se ferre, consueverunt: idque egerunt unice, ut doctrinas suas difficillimis involverent anigmatibus: quæ solvi non nisi a Diis eorumque amicis posse, populo persvasere. Quod quantam ipsis autoritatem conciliarit, dici non potest. Huc pertinet Hieroglyphica eorum scriptura (o); de qua tot extant doctissimorum Virorum Commentarii. Nec immerito miror *Morbofum* (ast quantum Virum!) aliosque Eruditionis varix laude claros, fascinos adeo istis literis esse, ut, nescio quæ, mysteria ineffabilia in illis quærent, atque ita credulæ Ægyptiorum plebeculæ fierent similes, cui fidem fecerant *Sacerdotes*, arcana in iis latere nemini nisi ipsis indaganda. Unde & ne, fraude manifestata, dignitate sua deturbarentur, haud facile cuiquam ad ista aditum pandere solebant. Quod tamen Pythagoræ ipsorum disciplinæ per 22. annos studioso, si *Jamblicho* fides, (p), contigit. His accedebat Theologastrorum

C 3

horum

(o) Unde & Exodi VII. passim ac Gen. XLI. 8. vocantur חַרְטֻמִּים characterum pictores (a חַרְטֻמִּים character) quod nomen LXX. Interpretes vertunt: *ἰωαννῆς*, incantatores.

(p) cap. 4. de vita Pythag. vid. Vir Magnificus JOH. JAC. STRUBLIUS,

horum incredibilis temeritas, in edendis Cacodæmonis opē miraculis, (si quidem præstigiæ miracula dici merentur) Quare & ⲙⲓⲣⲁⲥⲁⲓⲛⲉⲛⲏ præstigiatores (Gaukler Taschenspieler) Exod. VII, II. appellantur: quod nomen LXX. Interpretes reddidere: *Φάρισαῖοι* *venefici* Dan. II. 2. Nec minorem ipsis conciliavit venerationem scientia ejus, quod cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset: quam ipsos jactitasse Cicero (9) testatur. Quibus rebus factum est, ut hi homunciones apud Ægyptios instar semi Deorum (si ita loqui fas est) adorarentur, omnesque in sui admirationem raperent. Nec aliunde eorum in Republica Ægyptiaca, dignitas atque autoritas videretur orta.

§. XVII.

Excipiant jam istos ASSYRII (quæ nomine Chaldæorum æque ac Babyloniorum gentem complectimur) quorum *Theologos*, non solum multum potentia valuisse: sed *Reipublicæ* etiam *administrande* admos esse probare nitentur. Tædii plenissima res foret, repetere, quæ supra de Magorum Sacerdotum in Aulis Regum autoritate §. 14. diximus. Hujus vero loci est ostendere, quod & Chaldæis antiquis tales fuerint *Magi* (r). Lu-
ci-

quem tota hæc Salana decus insigne, nos Patronum ac Præceptorum maxime veneramur, in Pythagora intra Sindonem noscendo §. VIII. p. 37. seq.

- (9) Lib. I. de Divinat. num. 1. Eandem scientiam ipsis tribuit *Justinus* lib. XXXVI. cap. 2. §. 7. ubi Josephum Patriarcham magicas ab eis artes edoctum esse tradit. conf. Act. VII. 22.
- (r) nolo jam adducere *Justinus* Lib. XI. cap. 13. §. 3. & *Ariani* lib. ult. de rebus gestis Alexandri narrationem; de Magis Babyloniiis mortem Alexandro M. præcidentibus: nec urgebo testimonium

culenter hoc docet ipse codex S. Quippe Jer. XXXIX.
 3. inter Adminiftratos Nebucadnezaris commemoratur
 etiam Nergal Scharezer מן רב Princeps Magorum, qui
 expeditioni illius Judaicæ interfuerit. Unde patet, Sa-
 cerdotes seu Magos in hac quoque gente Magistratum nu-
 meribus esse functos. Id quod & ex nominibus aliis,
 quæ Affyriorum Onirocriticis, h. e. (ut supra monui,)
 Theologis tribuuntur, conijcere licet. Sic vocantur (r)
 גזרין γαζαρνοι (ut in versione græca extat) ob eorum in
 decretis authoritatem (t). Forte origo hujus Vocis re-
 peti

Hefychii, qui ait, Χαλδαῖοι τὸ γένος τῶν Μάγῳ (ubi non tam gen-
 tem Chaldaeorum, quam eorum Philosophos ac Theologos, quibus
 teste Cicerone lib. II. de Divinat. num. I. κατ' ἔπαρξιν Chaldaeorum
 nomen competebar, significat): Mitto & illud quod nomen Lire-
 ratorum Affyriacorum מן אשפי ab Interpr. gr. vertatur Μάγῳ,
 respiciente forte ad radicem ejus אש ignis, cujus cultui præcipue
 affuevit Magos certum est. (vid. Cellarii Disp. de Magis s. II. p.
 13.) Unde & μαγῆεις a Strabone vocantur. Sed rutilius & analogiæ
 Grammaticæ convenientius videtur nomen אשפי ex Græcorum
 μάγῳ exponere.

(s) Dan. II. 27. ubi Raschi ait: esse hoc מן בעל שריון
 Nomen hæretici Diabolici. Scilicet derivandum illud procul du-
 bio putavit ex גזר secuit; ut dicerentur גזרין sectores ilium seu
 haruspices. Quod etiam Buxtorffo approbatur in Lex Bibl. it. in
 Lex Talm.

(t) Sententia hæc est R. Saadia Gaon, iniquentis: גזרין אומה
 הנקראת גזרי מן גזריאה ואית ראמרי גזרין שריון
 .האבות על פיהן דברו מלכות i. e. גזרין gens est nomen
 habens a secando. Et sunt qui dicunt, quod fuerint Principes
 decedentes negotia regni. Idem, quo hic Rabbi utitur loquendi
 modus in Targum Eth. IV. 5. usurpatur de Daniele, quem scil.
 Nabuchodonosor constituerat, principem sapientum Babylonicorum
 Dan. II. 48. quorum nomen quas complectatur species, recenset
 R. Ab. Esra in notis ad Dan. I, 27.

peti poterit a *Gaza* (u) inserta per Epenthesin haud a-
deo infrequentem (x) Litera Resch. Coeterum hanc
opinionem nemini obrudemus.

§. XVIII.

Ante vero quam ulterius progrediamur, non pos-
sumus, quin mentionem faciamus UNCANI Regis illius
quondam potentissimi Provinciae Tendue in Tartaria A-
siatica: qui Nestorianam amplexus haeresin, sacra etiam
administranda sibi sumserat. Nomen ejus decantatissi-
mum *Presbyter Johannes* (*Priester Jean*) vulgo *Abyssinorum*
Africano Regi tribui consuevit: in quo quidem
haud leviter erratum. Coeterum cum Imperium ejus
nimia potentia abusi & ad sacra grassati officia in Tyran-
nidem, ut fieri solet, degeneraret; defecerunt ab ipso
subditi, sibi que Canchium quendam elegerunt Ducem.
Qui non Regno modo, sed & vita Uncanum priva-
vit (y).

§. XIX.

Sed ne in exteris Terris diutius quam par est, com-
moremur; salutandi nobis jam veniunt in Germa-
nia

(u) Scilicet antiqua admodum est vox *Gaza* Thesaurum Persis signi-
ficans, teste *Curtio* lib. III. cap. XIII. §. 5. *Hesychio*, *Mela*, &c.
Vid. de ea *Pfesser* in *Nomn. Exott.* N. T. loc. 38. p. 238. *Christ.*
Becmannus in *Orig.* Ling. Lat. p. m. 503. *Matth. Raderus* in no-
tis ad *Curtii* lib. 3. cap. XII. §. 27.) Illi affine est nostrum:
Schag | *Schägen* | *Schögar* *Gaspar*, *Caspar*, quo pertinet etiam
nomen גַּבְרִיאֵל *quastura* *praefecti* Dan. III. 2.

(x) vid. *Celeb.* noiter D. D. DANZIUS *Inft.* §. 5. obf. 2.

(y) vid. *Phil. Cluveri* *introducio* in *Geographiam* p. m. 473. &
604. & *Christ. Wagensilii* in *Geogr.* sub tit. de *Africa*, in *spec.*
de Regno *Abyssino*.

nia nostra atque Gallia DRUIDES. De quibus multa quidem essent, quæ commemorare possemus: verum quantum fieri poterit, intra instituti nos nostri cancellos continebimus; idque tantum ostendemus, eos & Sacerdotio & Republica Civili præfuisse. Et illud quidem (de sacro enim munere primum dicemus), cum ex nomine eorum, (z) tum ex innumeris Autorum variorum testimoniis tam certum est, quam quod certissimum. Hoc ex ipsorum profapia nobilissima (a), &

in

(z) Quod unde derivandum sit, multis modis apud plerosque scriptum est. Quidam, quorum in numero est *Plinius*, ortum id esse a Gr. *δέξω quercus*, invito *Strabone*, putant: Quia rem Divinam in *quercetis* fecerint. (vid. *Plinius* Hist. Nat. lib. XVI. cap. 44.) Alii a *Musitano* Nomen originem illius nominis petunt. Quæ quidem vox de mysteriis usurpari consuevit (vid. *Celeb. Joh. Georg. Eccardus* in Monum. Catech. Theol. Sec. IX. p. 171. fin.) Eadem tamen *judicandi* quoque obtinebat significationem (teste eodem Viro Clariss. l. c. p. 167. & in Diss. de studio Etymolog.) Alii *Druidarum* appellationem ex *Traute Amicus* fluxisse putant. Nobis videtur oriunda illa esse a *Druifin* voce Norwegis adhucdum de supremo Deo usurpata, inque Monumentis Catecheticis Theotiscis sæpe obvia (vid. l. c. p. 23. 130. 193. 204. &c.) Ut adeo *Druides* quasi *Viri Divini* vocentur: cujusmodi homines ab Hebrais כַּנְי אֱלֹהִים, כַּנְי אֱלֹהִים appellari supra §. 4. observavimus. Neque vero invidiam ibimus, admodum probabilem esse sententiam *Celeb. Gvil. Cavei* Angli: qui in Prolegg. antiqq. Apoft. §. VII. p. 22. Edit. Germ. postquam multa erudite de lucis Veterum Gentilium differuit, incolis, ait, Valliæ veterum Britannorum *דרוויד* hodiernum in usu esse verbum: *DERVV Quercus*; unde *Druide* sacra sub quercubus facere soliti nomen sint sortiti. Certe longe esset solidissima hæc Etymologia, si, de origine Disciplina *Druidarum* a Britannis (teste *Cæsare* lib. VI. de Bello Gallico cap. 13.) repetenda, confecta res foret. Quicquid tandem horum eligas; ex nomine *Druidarum* patebit, quod volumus, scil. *Theologos* eos Veterum German. fuisse.

(a) vid. *Pomp. Mela* de situ Orbis lib. III. cap. 2.

D

in controversiis licibusque dijudicandis autoritate (b) cuiuslibet Patriarum antiquitatum studioso notius est, quam ut multis id probare, necesse sit. Quamvis enim Reges Germanorum Civitatibus præfuerint (c); umbram tamen magis Majestatis, quam Majestatem deprehendere in ipsis licet. Contra *Druides*, qui populo perfraserant, Divina se ad ipsos Oracula perferre, Majoribus nostris *libertatis alias*, ut *Amm. Marcellinus* lib. XIX. loquitur, *cupidis & jugi impatientibus* haud difficulter imperitabant. Adeo, ut, teste *Tacito* (d) in quempiam Germanorum neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi hisce *Sacerdotibus* permissum fuerit. Non quasi in poenam nec Ducis jussu, sed quasi Deo imperante. Cæterum plura, quæ de *Druidibus* dici poterant, alii reservamus occasione: contenti nunc, eos longe luculentissimum conjuncti cum Sacerdotio Imperii exemplum omnium exposuisse oculis.

§. XX.

Tale quid etiam apud Romanos deprehendere licet; quorum Patricii semper fere Sacerdotum munere sunt

(b) Digna sunt verba *J. Cesaris* l. c. p. m. 99. seq. quæ hæc legantur: *Illi* (Druides) *rebus Divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur, ad hos magnus adolescentum numerus disciplina causa concurrens, magnoque ii sunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituunt: si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate de finibus controversia est; eadem decernunt præmia panisque constituunt: si quis aut privatum aut publicum eorum decretis non stetit, sacrificiis interdiciunt.*

(c) vid. Magnificus noster STRUVIUS im Bericht von Veränderung des Teutschen Reichs sub initium.

(d) In libello de Moribus Germanorum. cap. VII.

funt functi (e). Id quod innuit *Valerius Maximus* (f), *Tantum*, inquiens, *studium antiquis non solum observanda sed etiam amplificanda religionis fuit; ut e florentissima tum & opulentissima Civitate, decem* (Lipsius legendum autumat duodecim :) *Principum filii S. C. singulis Etruria populis percipiende sacrorum disciplina gratia traderentur.* Ex iisdem scil. Civitatis Romanæ primoribus omnes pæne hujus populi *Sacerdotes* sunt lecti: donec plebs hujus rei impatiens, à suarum partium hominibus quoque ut sacra administrarentur, extorqueret. Quæ de re passim agit *Fenestella* in eleganti de Magistratibus, sacerdotiisque Romanis libello. Eadem plebs, cum Regibus expulsi, sacra Munia, quæ illi obierant, viderentur neglecta, *Rex* aliquis *sacrificulus*, ut à consulis constitueretur postulavit, teste præter *Livium Fenestella*.

(g). Nec omittendum heic mihi videtur *Ciceronis* de conjunctione Regiminis Civilis cum sacerdotio effatum, qui in oratione pro Domo sua, Pontifices ita alloquitur: *Cum multa divinitus, Pontifices, à majoribus nostris inventa, atque instituta sint; tum nihil præclarior, quam quod vos EOSDEM ET RELIGIONIBUS DEORUM IMMORTALIUM ET SUMMÆ REIPUBLICÆ PRÆESSE voluerunt: ut amplissimi clarisimique Cives Rempubl. bene gerendo, religiones sapienter interpretando rempublicam conservarent &c.* Scil. Pontifices etiam magistratum gerebant munus, & in eo majorum, præcipuè Nu-

C 2

mæ

(e) Latius docuit hoc ex Authoribus antiquis *Joh. Jac. Draco* de orig. & Jur. Patriciorum lib. I. cap. 4. p. 40. 48.

(f) lib. I. cap. I. p. m 2.

(g) l. c. cap. II. p. m. 24. conf. *Pomponius Latus* de Magistrat. Romm. p. III.

mæ morem imitatus est, JUL. CÆSAR, nec non OCTAVIANUS AUGUSTUS (b): cui pariter ac successoribus ejus *Augusti* nomen tributum est, non tam ab *augendo*, (i) quam ab *augurio*. Quippe cui præ erant atque adeo sacerdotio fungebantur (k). Quod de Imperatore Pom- pilio Macrino memoriæ mandavit *Julius Capitolinus* (l). Nec quisquam fuit, uti ex inscriptionibus à *Jano Grus- zero* collectis patet, vel Christianorum, vel Ethnicorum Imperatorum; quin illa ipsa dignitate emereret, titu- lumque Pontificis sibi vindicaret. Donec hoc quicquid erat honoris velut indignum Christiano Principe acci- pere

(b) Nostro instituto egregie convenientia verba *Festella* cap. V. p. 13. hæc sunt: *Flammincm Dialem primus Numa Pompilius Roma Rex creavit, cum antea REGES PONTIFICIUM REGUMque provin- sive munerabirent, ut de Priamo & Ænte apud Virgil. certimus, Rex etiam Anius, ut idem Porta ait, Rex idem hominum, & abis que Sacerdos fuit, idque etiam a minoribus deinceps observatum est.* Idem de Augusto tradit *Sætonius* in ejus vita cap. 31. ad quem locum commentatus *Cassiodorus*, quam plurima offert memorabilia de regni administratione antiquitus cum sacerdotio connexa. Cœ- terum versus ille *Virgilii*, ad quem provocat *Festella*, extat *Æ- neid.* III. 80. ad quem *Servius* annotat: *Majorum hæc erat con- suetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos.* Unde hodieque (ita enim hæc verba à scribis alias negligentibus corrupta emendantur apud *Berneggerum* in notis ad *Justin.* Lib. XXXVI. cap. 2. P. 450. à *Francisco Modio*) *Imperatores Pontifices dicimus.*

(i) Quæ quidem derivatio recepta fere est hodie, nec aliam ob ratio- nem sacratissimus Imperator vocatur: *Altezeit Webrer des Reichs.* Vid. *Fabri* Thesaurus lat. Ling. lit. A.
(k) Vid. *Sætonius* in vita *Octavii* cap. VII. p. m. 61. conf. *Festella* i. c. cap. IV. p. 11. ad *sapientia*, inquiring, nobilitati que primarios quosque id *Sacerdotium* (augurium) deserunt *Romani*, add. *Pomp. Latus* p. m. 106. qui, ipse, ait, *Romanorum pater Romulus augur fuit & ideo instituit magistratus augurii confirmari.*
(l) In ejus vita cap. VII. p. 248. Edit. *Obrecht.* Idem de Imperatore *Juliano* constat. vid. compend. *Hist. Eccles. Goth.* lib. 2. cap. ii. Sect. iii. ad A. 361. p. m. 330.

pere recusaret *Gratianus* Imp., teste *Zosimo* (m). Ipsum tamen hunc titulum ambabus deinde manibus amplecti non dubitavit Episcopus Romanus (n).

§. XXI.

Enim vero jam ante *Gratianum* Imperator *HE- LIOGABALUS*, seu, ut *Herodianus* ejus nomen exprime-

D ;

re


(m) Cujus verba, quia nostro imprimis scopo serviunt, ex Hist. lib. IV. cap. 34. pag. 434. integra huc transcribemus bona cum Lectoris venia: Ρωμαιοὶ τὰς πρῶτην παρ' αὐτοῖς ἱερατικὴν ἔχοντας τάξιν ποντίφικας προσηγοῦσαν εἰς συναριθμείσθαι τὰς βασιλείας διὰ τὸ τῆς ἀξίας ὑπερέχον ἐνομοθέτησαν, καὶ ἔτυχε τῆς Νομάς πομπίλιος πρῶτος, καὶ πάντες ἕξῃς οἱ τε λεγόμενοι Ῥήγες καὶ μετ' ἐκείνους οὐταβιανός τε αὐτὸς πρῶτος, καὶ οἱ μετ' ἐκείνον τὴν Ρωμαίων διαδέχμενοι Μοναρχίαν, ἀμα γὰρ τὸ παραλαβεῖν ἕκασον τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν, ἢ ἱερατικὴν σοφίαν παρὰ τῶν Ποντιφικῶν αὐτῶν προσέφερετο, καὶ παραχρῆμα ποντίφικῆς μάχης ἀνεγνώφετο, ὅπερ ἐστὶν ἀρχιερεῦς μέγιστος. οἱ μὲν ἔν' ἄλλοι πάντες αυτοκράτορες ἀσμενέστατα φαίνονται δεχόμενοι τὴν τιμὴν, καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρῆσάμενοι ταύτῃ, ἐπειδὴ εἰς κωνσταντῖνον ἦλθεν ἡ βασιλεία, καὶ ταῦτα τῆς ἀρχῆς ὁδὸς τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπέζης καὶ τὴν χριστιανῶν ἐλέμενος πῖσιν, καὶ μετ' ἐκείνον ἕξῃς οἱ ἄλλοι καὶ οὐαλεντινιανός τε καὶ Οὐάλις τῶν ἐν ποντιφικῶν κατὰ τὸ σὺνήδες προσεγαγόντων *Gratianῶ* τὴν σέλην, ἀπεδείξατο τὴν αἰτίσιν ἀδείμιτον εἶναι χριστιανῶ τὸ χρέμα νομίσας. κ τ λ. *Ceterum Zosimi* fidem hac in parte in dubium vocat *Joh. Andr. Bosius*: contendens, *Gratianum* & in Saxi Romano atque Emeritano, & ab *Ausonio* in gratiarum actione dici Pontificem Maximum. Putat itaque solam Pontificiam tantum, non item titulum Pontificis Max. a *Gratiano* rejectum esse, aut demum ultimis ejus annis contigisse, quae *Zosimus* refert.

(n) Vid. Comp. Hist. Eccl. Goth. l. c. p. 348. ad A. C. 381.



re solet, HELIAGABALUS (de hoc enim detestando homuncione quasi per lancem fatiram agere licebit) Pontificis maximi dignitate non contentus, novo Sacerdotio gloriam suam amplificare studuit. Cum enim in Phoenicia juvenis Sacerdos fuisset solis, (quem ibi *Helagabalum* vocari tradit *Herodianus* (o) & *Aelius Lampridius* (p)) Romanorum constitutus Imperator, non solum sui ipsius Sacerdotali induti veste, atque pulchri Dei sui imaginem in urbem Romanorum perferendam curavit, ut Divinis hic honoribus afficeretur: sed & postea quam Romam venit eidem magnificum dedicavit templum, in quo sacra Phoenicum more Heliogabalo suo ipse fecit dignissimus scil. tali Deo Sacerdos. Imo & eundem in finem in suburbio templum extruxit longe splendidissimum, in quod æstivo tempore duo hi Heliogabali animi causa se conferebant. Nec quicquam aliud agebat sceleratissimus Imperator, quam ut munus suum, quod sacra-

(o) Lib. V. cap. 3.

(p) In vita hujus Imperatoris cap. I. Pulchre de illius DEI indeque orto Caesaris nomine præter *Scaligerum*, *Casaubonum*, *Salmasium*, *Vossium*, *Foellnerum*, *Seldenum*. &c. (ad quos provocat *Bæclerum* in notis ad locum Herodiani allegatum p. 433.) *Christ. Ad. Rupertus* in observationibus ad Besoldi synopl. Hist. Univ. Monarch. IV. differuit. Quod ad nos attinet, conjicimus magis quam statuimus, componendum illud nomen esse ex ἥλιος &  quæ vox in versione

N. T. Syriaca *formandi* obtinet significationem, ut adeo *Heliogabalus* idem sit ac *forma solis* vel: (si pro ἥλιος substituere *ἥλιος* malis) *Dei*, scil. stricte sic dicti, i. e. *solis*, singularem enim hujus Idoli figuram fuisse tradit *Herodianus*, quæ ad miraculum proxime accesserit. Force Germanicum *Gipffel* *Gibel* (unde & Gibraltar) Etymologiæ istius nominis explicandæ lucem afferre poterit.

§ (31) §
sacratissimum existimabat, certe existimari ab aliis vole-
bat, rite obiret. (g)

§. XXII.

Prodeant jam inter eos, qui Ecclesiae simul & Rei-
publicae Civili praesse conati sunt, EPISCOPI ECCLE-
SIAE Romanae. Quis enim est, qui ignoret, nullum fe-
re hodie Clericorum istorum esse, quin sat ampla alicui
imperet Provinciae? Cujus rei originem altius repetitam
paucis exponere haud alienum (credo) a proposito no-
stro erit.

§. XXIII.

Scilicet in antiqua Ecclesia Episcoporum idem erat
officium, quod hodie Superintendentium nostrorum,
nec quicquam illis cum Reipublicae administratione
commercii; donec plurimis malis diu vexata Ecclesia
a Constantino M. qui primus Imperatorum Christianam
Religionem amplexus est, honorari coeperunt Docto-
res sacri, atque ad summas evehi dignitates. Cumque
antea quidem abundaret Ecclesia divitiis, quas, a libera-
libus Christianis pauperum necessitati destinatas, Epi-
scopi maximam partem sibi vindicare jara tunc ausi e-
rant, tantum tamen Romanis legibus fuerat, ne fundos,
agros, Urbes, quaeque asportari non poterant, Ecclesia
possideret. Verum tum temporis, abrogato a Christia-
nis Imperatoribus hoc Edicto, & Ecclesiae bonis immu-
nitate donatis, incredibile est dictu, in quantum potentia
Episcoporum (& Abbatum etiam, post institutum in
Europa Sec. V. Monachorum ordinem) fuerit aucta
(r) pra-

(g) Haec omnia accurate, ut solet, memoriae prodidit *Herodianus* lib.
V. cap. V. & VI.

(r) præcipue in Occidente. Quippe in Oriente com-
morati Imperatores perpetuis agitati bellis vel noluerunt
vel non potuerunt illorum impedire conatus. Quid? quod
a Constantino M. *Patriciorum* etiam, quæ tunc summa
erat, dignitate Clerici fuerunt ornati, adeoque omnis re-
rum ordo mutatus (s). Posthæc isti homines Francico-
rum Imperatorum atque Othonis M. ejusque successo-
rum nimia subinde clementia atque Liberalitate, nec
non Henrici IV. Juventute, & Imperatorum quorun-
dam variis bellis distractorum his in rebus socordia ab-
usum, id affectum sunt; ut ubique fere terrarum Princi-
patum obtinerent, & totas, easque maximas, Regiones
suo subicerent Imperio: opibus suis augendis magis,
quam animarum sibi conceditarum saluti liberalibusve
artibus intenti. Non poterant incredibilem hæc
multorum Clericorum in sacris negligentiam ferre Im-
peratores. Quo factum est, ut illi in subsidium voca-
re laicos juberentur quibus velut Advocatis (ut appella-
bant) bona sua traderent administranda (t) sed nec hoc
nec alio modo obviam iri huic malo intolerabili por-
erat: præcipue cum Episcopus Romanus longe omnium
potentissimus Cæsar, quoties suis Patronatus (quod vo-
cant) repetere nitentur, toties ex communicationis pœ-
na afficeret, (u) & ea ad se raperet jura, quæ solis com-
pere-

(r) Vid. P. Paulus Sarpinus, in Histor. Conc. Trident. nec non in Tr.
de Beneficiis Eccles. §. I. X.

(s) Vid. J. J. Draco de Orig. & Jur. Patric. lib. II. cap. II. §. 2. p. 100.

(t) Quod refert, & exemplis adductis erudite probat Draco de Orig.
& Jur. Patric. lib. 2. cap. VI. §. 19. seqq. p. 151. seqq.

(u) Vid. Literatoris incomparabilis Magnific. ac S. R. D. D. JOH.
FRANCISCI BUDDÆI Inst. Th. Moral. P. III. cap. 3. §. LXIII.

petebant Imperatoribus. Nec jam amplius his eligere Papas licebat: sed Papæ Cæsarum coronandorum potestate sibi vindicare conabantur. Sic & ipsi & reliqui plerique omnes Clerici onerosum nomen tantum Advocatiæ, non jus Regiminis ac Patronatus Eccl. Principibus reliquere, (x) &, quæ a Christianis veteribus ad sublevandam Pauperum atque Parochorum inopiam congesta erant, gladiati hi sacerdotes pro lubitu omnia agentes ad ambitionem, luxum, pessimasque converterunt voluptates: imo ipsam Religionem & fidei Christianæ capita ad detestabilem hunc finem obtinendum depravare atque corrumpere sunt ausi (y).

§. XXIV.

Tandem Deo auspice immutata nonnihil rerum facies est, & pactis Passavii initis, ac pace in Guesphalia facta, nostræ Ecclesiæ Protestantium Religioni ad dicta suo juri sunt restituta.

§. XXV.

Ante hæc tempora novissima *MAXIMILIANVS I.* Imperator Augustissimus Pontificis etiam appetiit munus, non spernendo prorsus conatu. Ratus, maximo Germaniæ nostræ fore emolumento; si, qui illi præ esset,

(x) Ita inter articulos juramento à Carolo V. confirmatos primus fuit? *Tutatur Cæsar Rempubl. Christianam Pontificem & Ecclesiam Rom. cujus sit Advocatus* teste *Sleidano* lib. I. ad A. 1519.

(y) Plura de hoc argumento, quod breviuscule attingimus, peti poterunt ex *Sarpio* lib. cc. *Puffendorffii* Introd. ad Hist. Stat. Cap. de Papâ, *Schiltro* de Eccl. Germ. Libert. *Conringio* de finibus Imp. Rom. Germ. & *Sagittarii* Nucleo Hist. Germ. passim. &c. it. *Theod. Reinking.* de Regim. Sec. & Eccl. Lib. I. cl. 2. cap. 8.

set, summa etiam in rebus divinis autoritate polleret. Vix crederes quæ dixi, nisi a *Melchiore Goldasto* celebri illo Monumentorum publicorum Editore producta esset ipsius Imperatoris hoc de negotio Epistola (z).

§. XXVI.

Cæterum quæ hactenus breviter ex historia tam sacra quam profana disseruimus, eum adduximus in finem, ut eo facilius iudicare de principatu Civili conjuncto cum sacerdotum munere possimus. Nec ægre feret Benevolus Lector, quod antiquam præcipue Historiam huic scopo accommodaverimus. Quippe quominus ex novellis, scriptorculisque novitiis Exempla depromeremus, institui nostri ratio omnem respuens prolixitatem obtiterunt. Quam etiam ob causam Alteram hujus Dissertationis Partem alii servare occasioni nobis est visum.

(z) Extat ap *Goldastum* in Politischen Reichshändeln P. 13. n. 4. Copia Kaiser Maximilian des ersten Schreibens de dato 16. Septembris 1511. an Herrn Pauln von Lichtenstein gethan betreffend eine Handlung mit dem alten Herren Jacob Fuggern wegen der Wahl zum Römischen Papstthum. Conf. Celeb. D. SAL. ERN. CYPRIANI Diss. de Maximiliano I. Pontificatum affectante. Vid. Reinking. l. c. Lib. I. cl. 2. cap. 8. n. 127.

Sphalmata potiora festinationi tribuenda.

Pag. 7. l. 6. pro sacris, lege, sacris l. 10. pro nomino, lege, nomine. p. 9. l. 1. n. pro *descriptis* lege *descriptis* p. 1. l. 15. pro indicasse, lege vindicasse. p. 15. l. n. pro, consignando, lege, designando. p. 16. pro, Gideone, lege Simfone, p. 17. l. n. pro *divinis* lege *divinis*. l. 3. a fin. pro, Originibus, lege, Originibus. p. 13. fin. pro 5. lege f. p. 19. l. n. pro, Divinos, lege, Divinis l. 23. pro limitu, lege, hinnitu. l. 25. pro, circa, lege, cura. p. 20. l. 4. a fin. pro Berneggerus, lege, Berneggerus. p. 21. l. penult. pro, *iraoides*, lege, *iraoides*.

The.

Theses,

Coronidis loco, ad uberius illustranda quædam Dissertationis nostræ effata, adjectæ

Th. I. Haud adeo absurde, ex eo, quod Henoch Gen. V. 22. 24. dicitur ambulasse cum Deo, Sacerdotem eum fuisse conjeceris, cum idem loquendi modus de Sacerdotibus usurpetur Malach. II. 6. 1. Sam. II. 30. 35.

Th. II. Minime probabilis est sententia quorundam Christianorum, qui, teste R. J. s. *Abrabamele* in Comm. ad 1. Sam. II. 30. fol. 82. Col. 1. putant, quod Eli, cum Judicis potestate in populo Israelitico gauderet, ad se *rapuerit* Pontificis munus. Nam, si Autori Apocryphi Libri IV. Esræ Cap. I. fides, ex Eleasar's familia, cui summum Sacerdotium hæreditarium erat, ortus fuit Eli, sin minus, poteris cum Autoribus Comp. Hist. Eccl. Goth. Lib. I. cap. 2. Sect. 2. p. 147. coll. 148. Josephi testimonio nixis dicere, illum quidem ex Eleasar's fratre Jthamare originem duxisse: Pontificis tamen officio legitimum esse admotum. Cum is, qui ex Eleasar's posteris capessere illud debebat, apritudine forte destitueretur.

Th. III. An Sacerdos tantum fuerit Samuel, nec Pontificis unquam emi-neric dignitate, dubium est. Nos supra, non unam ob causam, illam de *Samuele Pontifice* Sententiam amplexi, hanc ut mutemus, nondum pror, sus movemur ab Autoribus Comp. H. E. Goth. l. c. p. 151. extorquentibus magis quam angurantibus ex 1. Sam. XIV. 3. *Abitobum* tunc istud munus gessisse. Quod si enim hoc ipsum liberaliter largiamur; id minime nobis obstat. Quippe *plures simul poterant esse Pontifices Judæorum*. Id quod ex Novi præcipue Fœderis monumentis patet: ubi *רַבֵּי אֲשֵׁרִי* in num. plur. sæpe fit mentio. Quo nomine ibi non tantum singulorum ordinum Sacerdotalium Præsules, Judæis alias *רַבֵּי אֲשֵׁרִי* vocatos, (quæ opinio est *JOH. HENR. OTTONIS* Lex. Rabb. Philol. p. 536.) aliosve Templi Antistites, qui *אֲמֹרֵי כֹהֵן* sunt appellati (vid. R. *Dab. Kimchi* Comm. ad 1. Reg. XII. 10.) sed *plures reuera Pontifices* significari haud male arbitrantur. Certe Exemplum *Hannæ* atque *Caipha*, qui ambo simul istud munus reapse obierunt (vid. Joh. XVIII. 12. coll. Matth. XXVI. 57.) omni est exceptione clarius. Scilicet, quia festi Expiationis solemnia ab ipso Pontifice ut admistrarentur statutum erat: facile autem fieri poterat, ut is pollutione forte aliqua laborans, obire illa non posset; ideo semper præsto alius Pontifex (*סֹגֵן הַכֹּהֲנִים*) esse debebat, vices istius in tali casu gesturus. Cæterum dicam nemini scribemus, qui a nobis de Pontificatu Samuelis dis-senserit.

Th. IV. Nisi brevitatis curæ nobis fuisset, potuissimus longe plurimos in *Theologorum imperantium* numerum referre, v. g. *Heralaldum* Danorum Regem, *Arsenium* Patriarcham, & præcipue celebrem illum Judæorum Regem simul & Pontificem *Alexand. Jannaum* nec non *Sacerdotes Judaicos* qui haud secus ac Præsules eorum (vid. *Maindonides* in Tr. de Synedr. Cap.


2. §. 4.) inter Judices synedriales ut plurimum cooptati, atque ita maximam rerum Civilium potestatem sunt nacti; adeo, ut ipsum Regem flagris cedere illis liceret. Hos enim jus competiisse Synedrio, Rabini ad unum omnes, inque eorum lectione versatissimus *Guil. Schickardus* Jur. Reg. cap. 2. Theor. VII. *Grotius* &c. (a quibustamen in Principum gratiam dissentiant *Carpzovius*, *Ofander* aliique) fidem faciunt.

Th. V. Onirocritices studium a Sacerdotibus præcipue tractatum olim fuisse, inter alia ex eo patet, quod & Pharaos & Nabuchodonosor ad interpretanda somnia sua Theologos accerfendos curarint.

Th. VI. Quamvis in liberalitate erga Clericos præsci quidem Imperatores modum fere subinde exceßerint (quod supra etiam notavimus) non tamen existimandum est, de omnibus, quæ hodie venditantur, eorum donationibus confectam rem esse. Quantum enim harum numerus fideus sit ac suppositicius; exemplo Diplomatis spurii, quo immensa sibi jura a Ludovico Pio concessa esse jactitat Cœnobium Lindaviense, nuperrime comprobavit exquisitè Vir Eruditionis L. *JOH. REINH. VÆGELIN* in Prærogat. Civit. Lind.

Th. VII. Longe vero melius quam in Clericos contulerunt beneficia sua in Civitates Imperiales Augustissimi Imperatores, præcipue Rupertus, cuius incredibilem in has benignitatem quidam maligne redargunt, alii ob earum in Ipsum merita, Imperii que utilitatem haud abs re maxime prædicant. Inter quos merito suo primas partes tenet (verba sunt *Schurzseischi* in Disp. de eo quod expedit Imperio §. X not. 3.) *Jurisconsultissimus DAMIEL HEIDERS*, egregio, quod de Imperialibus Præfectis (*Reichsbörgten*) edidit opere, unde plurima, cum in hoc argumento versaretur, collegit *Philippus Andreas Burgoldensis*.







31.

33

DISSERTATIO ¹⁸³ ACADEMICA
DE
SACERDOTIO
CVM REGIMINE CIVILI
CONIUNCTO

SIVE DE
THEOLOGIS IMPERANTIBVS,

QVAM
AVSPICIIS DIVINIS

RECTORE ACADEMIÆ SALANÆ MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAX. IVL. CLIV. MONT. ANGAR. & GVESTPH.
RELIQVA,

EX SVPERIORVM CONSENSV
DEFENDET

PRÆSES

M. BONAVENTVRA *Riesch/*
LINDAVIA-SVEVUS,

RESPONDENTE

GEORGIO NATHANAELE KISTMACHER,
PYRITZIA-POMERANO, SS. THEOL. AC PHILOL. STVD.

DIE XIX. IANVARIJ MDCCLXV.

I E N Æ,
TYPIS WERTHERIANIS.

